

Christum aliter andeant aut docere aut aliter facere atque ipse locutus est. Hoc equidem non inficiamur verum esse, si Verbum auferas, aut sine eo hoc Sacramentum intuearis, prater merum panem nec vinum nihil tibi mansurum reliqui: Sed verbis una cum vino & pane manentibus, sicut debet & oportet, tum constat illa veraciter esse Christi corpus & sanguinem. Sicut enim os Christi dicit ac loquitur, ita quoque est, ut qui neque mentiri novit, neque fallere Catechismus Maj. L.S.p. 779 f-Ed.Lips.

§. 15. Et hæc equidem divina momenta adigunt nosmet, qui nequeamus cum recentissimis etiam Reformatorum doctoribus coire, convicti, quod Majestatem Humanæ Christi naturæ omnibus violent modis, & ex principiis suis sublevis veram humanæ Christi naturæ omnipræsentiam & Sacramentalem corporis & sanguinis Christi manducationem atque bibitionem concedere nec velint nec possint; Quare tandem omnia ista, quæ conamine operosissimo perſuadere voluerunt multis, suspecta & imposturis judicamus gemina, quibus opponi possit Ovidianum istud:

*Fallite fallentes: ex magna parte prophanum*

*Sunt genus: in laqueos, quos posuere, cadent.*

Cont. Calovii *Historia Syncretistica* p. 653. f. Löschnerus in der allerunterthänigsten Adresse: & In *Historia motuum Religionis* Edzardus: De *Causis unionis à Calvinianis doctoribus quesita*. Videris etiam ex his hæcenus assertis, An satis tutò in Actis Er.Lipl. A, MDCCII. p.175. potuerit dici, quod Calixtus Tractatu suo, qui inscribitur: *Via ad pacem*, sibi muniverit *Viam ad aternam & veram pacem*. Item: Quid genuini candoris sperari possit à Strimesio, ad cujus brevem delineationem *Consensus inter Evangelicos Lutheranos & Reformatos*, A. E. L. A. MDCCV. p.143. his tamen verbis concludunt: *Tanta animi moderatione atque candore in commendando hoc negotio utitur Vir celeberrimus, ut neque pacem eum veritatis jactura optet, eandemque si rei Christianæ minus convenientem intellexisset, se impediturum profiteatur.* Quamvis & hodie plures habeat orbis, qui admoniti, ne Calvinii doctrina recipiatur, sed Augustana Confessio, à Martini Lutheri doctrina profecta, maneat, cum Navarro dicerent *Lutherum & Calvinum*

C

in